

molesta est sapientia. Hoc est quod ait Sapiens *Ecl. xii, 11*: « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. »

Quartum et præcipuum sapientiæ nomen, quo passim utitur Salomon in Proverbiiis, est *חוכמה chochma*; *chochma* autem noster Emmanuel Sa derivat a *כחם camas*, id est abscondere; unde *camus* vocatur absconditus, reconditus, latens, *Deut. xxxii, 34*. Aut a *כמן kaman*, quod chaldaice, syriace et arabice, significat *occultavit*: unde *michman*, id est thesaurus; et *machman*, id est latibulum, spelunca. Verum *chochma* derivatur a *חכם chacham*, id est, sapiens fuit, uti norunt hebraice periti, non a *camas*, vel *kaman*. Melius ergo *חוכמה chochma*, id est sapientia, alludit ad *אחמה och ma*. Litteræ enim *aleph* et *chet*, cum ambæ sint gutturales, sunt inter se commutabiles: *och* enim vel *ach*, Hebræis, æque ac Latinis, Græcis et cæteris, est interjectio, et naturalis vox dolentis, sive gemitus et suspirium lamentantis; *ma* vero significat, quid, quantum. Sensus ergo est, *q. d. chochma*, id est sapientia, est *achma*, id est, suspirium, quo sapientiæ studiosus gemit et suspirat dicens: Ah quanti laboris est sapientia! Ah quantum mihi cerebrum mentemque pro ea nanciscenda fatigo! Ah quam arduum est sapere! Nam ad sapientiam, puta virtutem, nanciscendam, opus est Socratico robore, ait S. Hieronymus; sapientia enim hic non tam speculativa quam practica accipitur, puta virtus, quæ pariter a vi et virili robore dicitur; eo enim ad virtutem assequendam est opus, ut ad illam totis viribus conitatur, perinde ut Hercules et Argonautæ ad vellus aureum. Quocirca virtus a Pœtis dicitur habitare in editis et pene inaccessis rupibus, teste Clemente Alexandrino lib. IV *Stromat.*, sub initium: « Sudor, inquit, ante virtutem positus est. » Unde Hesiodus:

Via longa est atque acclivis ad ipsam.

Ardua namque prius; sed cum ad fastigia ventum,  
Fit facilis.

Rursum *chochma* quoad omnes litteras alludit ad *חוכמה choach*, id est, spina asperrimis aculeis, et *חוכמה ma*, id est quantum, *q. d.* O quot spinis obsita! O quam spinosa, aculeata, difficilis et impervia est sapientia! Quantum in ea est spinarum et sentium!

Insuper nonnulli *chochma* censent alludere ad Chaldæum *אחמה acham*, id est, niger fuit, denigratus est, *q. d.* Quam atra, quam obscura, quam in tenebris recondita et arcana est sapientia! Unde *אחמת achmut* vocatur nigredo, tristitia et aurora, quia subnigra et obscura, quæ sapientiæ et philomusis est amica. Hinc quoque Chaldæi *achmeta* vocant scrinium, lagenam, vel urnam, in quo recondebantur litteræ, libri et memorialia regum, I *Esdrae vi, 2*, ubi Noster vertit, in *Echa-*

*tanis*, quæ erat sedes regum Persarum. In simili enim Dei serinio recondita est sapientia.

Igitur tam nomine quam re ipsa ardua et laboriosa est sapientia, puta Dei gratia, virtus et salus, ideoque a paucis laboris avidis apprehenditur. Ideo ait Christus *Matth. xx, 16*: « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » Et *Matth. cap. vii, 14*: « Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt qui irveniunt eam! »

ET NON EST MULTIS MANIFESTA. — Plane, sicut pulveris est multum in terra, auri parum: ita rari sunt, quibus sapientia innotescit, adeo nos mundi prudentia cæcavit, adeo sibi vindicavit, adeo nos sapientiæ Dei ad se vocanti et pellicenti, *Proverb. i, 21*, subtrahit. Huc facit gnome Rabbini prisci in *Pirke Avoth*, id est, in *Apophth. Patrum*, quæ sic habet: Dignitas et excellentia legis regum et sacerdotalem honorem suo splendore vincit, ac sublimitate supereminet; quippe 30 gradibus ad regni culmen ascenditur; 24 ad sacerdotii fastigium pervenitur; at vero ad apicem intelligentiæ legis 48 necessaria sunt. Hæc autem sunt ista: studium, id est improba diligentia, docilitas in obediendo magistris, intensio animi, attentio et affectio cordis, timor ac tremor, animi demissio, gaudium, obsequium præstare sapientibus, subtilitas cum condiscipulis in disputando et argumentando, alacritas, patientia, studium scripturæ, peritia *misnæ*, seu legis oralis ac traditæ, parum negotiationis temporalis, parum somni, modicum risus, modicum delectationis, sæcularium negotiorum permodicum, in irascendo tarditas, cor bene affectum erga sapientes, fidelitas, tribulationum perpessio, suæ conditionis agnitio, sua sorte contentum esse, prudenter loqui, nec honorem sibi aut dignitatem aliquam arrogare. Sic amatur, et amat Deum, justitiam, increpationem et rectitudinem; averit se ab ambitionis vitio, nec propter eam, quam se habere novit in lege peritiam, vane extollitur, aut inflatur, aut libenter tanquam iudex sententiam pronuntiat; onus et jugum proximi sui suavissime ac placidissime portat; omnia ejus dicta vel facta in meliorem partem detorquet; in pace eum et veritate confirmat ac roborat; in suo se amat studio. Quærit et respondet; audit quæ dicuntur; et insuper addit de suo doctrinam; discit, ut doceat, et in praxim, quæ a præceptoribus accepit, reducat. Acuit ingenium ac diligentiam magistri; lectioni attentam aurem accommodat; fideliter eum auctorem laudat, a quo quid accepit; nam probe novit, eum qui illi fonti, a quo aliquid haurit, illud fideliter et sine invidia refert, salutem mundo ac redemptionem adducere, juxta illud *Esther*: « Et dixit Esther regi nomine Mardochei. » Hucusque Rabbini.

QUIBUS AUTEM COGNITA EST, PERMANET USQUE AD CONSPECTUM DEI. — Hæc verba nunc desunt in Græco, Syro et Arabico. Ostendit vers. *psal. ed.* sapientiæ difficultatem: hic ejusdem ostendit

præstantiam, ut ejus studium in nobis exacuat, ne quis ob difficultatem eam refugiat; nam difficilia, quæ pulchra. Sensus ergo est, *q. d.* Dixi sapientiam esse arduam et difficilem; sed simul dico eam esse utilissimam, pulcherrimam et præstantissimam. Nam ipsa sui studiosos et familiares perducit usque ad conspectum Dei, puta ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, in qua sola perfecta est sapientia. O vires aquilæ (puta sapientiæ) summas, quæ expandit alas, et assumit pios super eas, eosque super omnes cælos ad Dei thronum et lucem inaccessibilem evehit et exaltat, juxta illud *Deuter. xxxii, 11*: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumptum eum, atque portavit in humeris suis. »

Hinc nota Rabbini et Judæis cognitum fuisse, quod felicitas nostra consistat in visione Dei, quodque ad eam ducat, eamque mereatur fides et sapientia, puta, virtus et charitas. Ita Rabanus: « Quibus, ait, agnita est, hoc est, qui eam recte fide ac bonis operibus servant, perducit illos ad contemplationem gloriæ Dei. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Sic Christus *Joan. cap. xvii, 3*, cognitionem sapientiæ suæ vocat vitam æternam; qui enim practice eam cognoscit, id est, amat et moribus exprimit, hic pergit et pervenit ad vitam æternam: « Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Quæ verba explicans S. Cyrillus lib. XI in *Joan. cap. xvii*: « Cognitionis, inquit, est vita, spirituale nobis benedictionem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei, et veram pietatem per Evangelicam vitam, et incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo, et quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inveniatur, recte a Domino nostro Jesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater et radix, virtute naturaque sua vitam æternam pariens. »

24. AUDI, FILII, ET ACCIPE CONSILIUM INTELLECTUS, ET NE ABJCIAS CONSILIUM MEUM. — « Consilium intellectus, » sive intelligentiæ, vocat consilium intelligentis, puta consilium sapiens et prudens; Syrus: *Audi, filii mi, et suscipe doctrinam meam, et ne amoveas disciplinam meam*; Tigurina: *Audi, filii, et sententiam meam amplectere, nec revocet meum consilium*. Consilium hoc subjicit, dicens:

25. INJICE PEDEM TUUM IN COMPEDES ILLIUS (sapientiæ), ET IN TORQUES ILLIUS COLLUM TUUM. — Syrus: *Immitte pedem tuum in rete ejus, et in sarcinam ejus immitte collum tuum*; Tigurina: *Pedes tuos in compedes ejus insere, et in nervum (Vatablus, in numerali) ejus cervicem tuam*. Nam vox *torques* hic non significat monilia et catenas aureas, sed boias, numellam, sive collare vitæculum, quo collum cauum v. g. stringitur: hoc enim significat Græcum *τορχει*. Idipsum recte vocatur torquis, quia collum torquet et cruciat instar tormenti et torturæ. Sicut

ergo pedes equorum, vaccarum et boum in pascuis et septis, ne ea transiliant, arcantur compedibus; et sicut canes cinguntur collari, ut per catenam illi annexam ab hero duci regique possint: sic pariter sapientia sua disciplina et castigatione, quasi compede et collaris, ligat et stringit tam collum et caput, id est mentem, voluntatem et affectus, quam pedes, id est gressus, motus et actiones nostras, ne illecebra aut concupiscentia aliqua abrepti exorbitent, hominemque in abyssum præcipitent, sed ut sapientiæ ductum et disciplinam quaquaversum sequantur, itaque rectam virtutis in cælum viam ineant. Sapientia enim non facit libertinos, ut volunt hæretici; sed compositos, maturos, rationi et disciplinæ subditos, ut caro serviat spiritui, spiritus Deo.

Porro torques et compedes significant in homine dominari animales appetitus et concupiscentias, quasi bestias et feras, quæ proinde instar bestiarum a sapientia et disciplina quasi compede et catena, domandæ, frenandæ et captivandæ sint, ne et seipsas et herum perdant. Audi S. Gregorium in *Psal. penitent. v*, explicantem vers. 21, *Ut audiret gemitus compeditorum*: « Sancti viri, inquit, non incongrue compediti dicuntur, quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur; et quasi gressum operis immobiliter figunt, dum a Conditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est: Injice pedes tuos in compedes ejus, et in torques illius collum tuum; quia profecto cujus a pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum veritate virtutum adornatur. Collum namque fides est, per quam Deo fidelis quisque conjungitur, et quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur. Unde in laudem Sponsæ in Canticis Canticorum dicitur: Collum tuum sicut monilia. Quia enim, sicut Jacobus ait, fides sine operibus mortua est; quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continue compediti, quia dum exsili sui tenebras electi considerant, ad claritatem visionis Dei indesinenter suspirant. »

Quocirca compedes hæ sapientiæ, non tam vincula sunt servitutis, quam insignia libertatis, quales erant compedes aureæ mulierum, de quibus Plinius, lib. XXXIII, cap. XII: « Argentum, ait, succedit ex ære aliquando et auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo faciunt. » Unde et compedes hæ desinunt in torquem, quem aureum suspicatur S. Augustinus in *Psal. c. c. lvi*: « Suscipit, ait, a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientia: *Et torquem aureum circa tuam cervicem*: non tunc imponeret torquem aureum, nisi primum in compedibus ferreis te alligasset. » Unde *Cantic. i, 11*: « Pulchræ sunt, inquit, genæ tuæ, sicut turris; collum tuum, sicut monilia. » Ubi Chald.: « Quam

pulcher, ait, est populus hic, ut dentur eis verba regis, et sint sicut inauris in maxillis eorum, etc. Quam pulchra sunt dorsa eorum, ut sustineant jugura præceptorum meorum, et sint super eos, sicut jugum super cervices bovis, qui arat in aratro. » Denique S. Hieronymus, epist. 127 ad Fabiolam: « Vincula, ait, Domini voluntaria sunt, et vertuntur in amplexus; quique his fuerit colligatus, dicit: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. »

26. SUBJICE HUMERUM TUUM, ET PORTA ILLAM, ET NE ACEDIERIS VINCULIS EJUS. — Græca habent: *Subjice humerum tuum, et porta illam*, quasi lapidem oneris, de quo dixit vers. 22, et μή προσεβλήσῃς, id est, ut Complut., *ne sis inimicus*; alii, *ne indigneris, ne offendaris vinculis ejus*; Syrus: *Appropria humerum tuum, et porta eam, et ne contristeris in pondere ejus*; Tigurina: *Humero tuo subjecto sustine eam, nec indigne feras ipsius vincula*. Noster vertit, « ne acedieris, » id est, acedia, tristitia, impatientia afficiaris ob vincula ejus manibus tuis injecta. Acedia enim parit tristitiam, tristitia iram, ira impatientiam rei gravis et molestæ. Ex Græco quis suspicari posset legendum esse, *ne acedieris*, id est, ne acide, id est, ægre et indigne feras, de quo dixi cap. iv, vers. 9.

Nominat quatuor totidem membrorum, eorumque præcipuorum, vincula: compedes enim vinciunt pedes, torques collum, sarcina humeros, manicae manus; quo significat sapientiam sua disciplina coercere et constringere omnia hominis membra, omnes sensus, omnes actiones. Speciatim vero per collum significatur phantasia et intellectus, per humeros appetitus, præsertim irascibilis, in quo regnat cupido se extollendi et dominandi, arrogantia et fastus; sicut enim humerus collo adjacet et subjacet, ita appetitus subjacet phantasiae et cognitioni: hæc autem omnia premit sapientia; per manus significantur actiones, per pedes motus et gressus: quæ omnia rationis legibus quasi vinculis astringit sapientia, puta Dei lex, virtus et charitas, juxta illud Roman. viii, 12: « Si spiritu facta carnis mortificaveritis, » vetis. » Igitur docet Siracides sapientiam habere compedes, quibus vinciat pedes; compedes hæ sunt modestia: item manicas, quibus astringat manus; manicae hæ sunt continentia: ad hæc torques, quibus liget collum; torques est obedientia; denique ipsam esse onus (scilicet crucis) cui humeros supponamus oportet per patientiam. Ergo ut Christus crucem bajulando ei humeros supposuit, cui deinde clavis manus pedesque, id est, totum corpus astrinxit, ita tu crede sapientiam crucem esse, cui manus, pedes, torumque corpus et animam alligare debeas. Audisti Deum diligendum esse ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex tota fortitudine, id est, ex omni toto tuo, puta ex pedibus, manibus, collo et corpore toto. Id ipsum hic docet Ecclesiasticus: Sapientia enim est dilec-

tio Dei, ut dixit cap. i, 14. Quocirca sapientia cohibet manus, ne cui noceant; pedes, necubi exorbitent, vel offendant; collum et corpus, ut a lege Dei non dimoveantur. Totum te bene tractat, totum te Deo sapientia suis hisce vinculis devincit et astringit. Ita Palacius.

Audi et Rabanum: « Injicit pedem suum in compedes illius, qui progressum vitæ suæ munit præceptis illius. Indit collum suum in torquem ejus, qui temperat sermones suos secundum regulam ipsius. Subjicit illi humerum suum ad portandum, qui actus suos subjicit magisterio illius, et implet opere quod jubet; et ne quis tædioso et graviter ejus doctrinam accipiat, subjungit, » etc. Cornelius Tacitus, lib. De Moribus German., scribit eos olim, dum lucum diis sacrum ingrederentur, vinculis se obligasse, ut se diis obstrictos profiterentur: unde et religio a religando dicta, quod animam Deo, cujus est, alliget et religet. Quidni ergo fidelis vinculis legis Dei sponte se Deo alligat?

Symbolice, nonnulli hæc adaptant cultui et servituti B. Virginis (hæc enim æternæ Sapientiae est mater), qua viri peculiariter devoti illi se consecrant, totosque se ejus obsequio velut servos, imo mancipia addicunt et mancipant. Exstat sodalitas, et praxis hujus servitutis edita hoc titulo: *Mancipium Mariæ, hoc est, modus dedicandi se B. Virgini in mancipium*. Sic ante 300 annos Florentiæ septem viri eximie pii se devoverunt cultui B. Virginis, ac instituerunt Ordinem Servorum B. Virginis, indeque Servitæ sunt appellati, atque B. Virgo id ratum gratumque habuit; ipsa enim singulis separatim per quietem apparuisse dicitur cum magno et illustri Angelorum exercitu, una manu pullam tunicam, altera librum apertum tenens, jubens eos deinceps illa veste uti, et illa regula, quam S. Augustini esse aiebat. Ita habent Annales Ordinis Servorum, et ex iis noster Platus, lib. I De Bono status Relig. cap. xxxiv.

Ante hos anno Domini 1050 primus Marinus, B. Petri Damiani frater, solemni ritu sese obsequio B. Virginis velut mancipium dedicavit. Ritum enarrat ipse Damianus lib. II, epist. 14 ad Desiderium Abbatem Cassinensem: « Altari, inquit, se B. Dei Genitricis velut servile mancipium tradidit, et pro servilibus numellis collo corrigiam, qua cingebatur, innexuit, et humeros denudans, mox se quasi servum malum coram Domina sua verberibus affecit; atque in veræ servitutis tesseram servile tributum pendens, quamdam pecuniæ summam in altaris crepidine posuit, dixitque: Per istud ergo munusculum servitutis me, o Domina, tibi nunc offero, et amodo, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. » Quo demum obsequio id assecutus est vit optimus, ut suavissimam in morte Dominam videre meruerit, quam et his verbis allocutus est sacri gaudii et confidentiæ plenissimus: « Et quia est, o Domina mea, Regina cœli et terræ, quia

visitare dignata es pauperulum servum tuum? Benedic me, Domina mea: nec patiaris me in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiae dedisti. » Tum roseo vultu ad circumstantes: « Venit, inquit, Regina mundi, venit Mater Redemptoris æterni, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit et abiit. » ille vero inter hæc relicto nobis clarissimo amabilis hujus servitutis exemplo, suavissime exspiravit. Et hinc fluxit sacrum illud servitium Mariæ, hæc illius est origo servitutis, nec obscure cœlesti prodigio comprobata. Quare hic sacer mancipatus uti nobilis (quid enim nobilium quam Dei Matris esse servum et vernaculum), ita sanctus et perutilis est. Nam B. Virgo sui cultores rectis itineribus in cœlum ad suum gloriæ thronum perducit: ut proinde illi recte ad aptes id quod subdit Siracides vers. 30: « Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. »

27. IN OMNI ANIMO TUO ACCEDE AD ILLAM, ET IN OMNI VIRTUTE (δυναμει, id est potentia, vi, robore) TUA CONSERVA VIAS EJUS. — « In omni, » id est toto, « animo. » Est enallage et catachresis: ponitur enim totum universale pro toto quanto, sive integro. Unde Complutens. vertunt, *in toto animo accede ad illam*; Syrus, *in toto corde tuo accede ad eam, et in tota virtute tua* (puta, totis viribus) *custodi vias ejus*; Vatablus, *animo toto aspices ad illam, et pro virili parte serves ejusdem vestigia*. Sunt enim, qui frigide, languide, et quasi dimidiata voluntate se dare volunt sapientiæ: at hi eam non assequuntur, quia ipsa totum cor, totum animum et affectum deposcit, ut ejus studiosus ingenti animi ardore in eam feratur, ad eam magnis desiderii suspiret et anhelet, tum ut eam mente percipiat, tum ut perceptam opere adimpleat.

28. INVESTIGA ILLAM, ET MANIFESTABITUR TIBI, ET CONTINENS (ἐγκρατῆς, id est compositus) FACTUS NE DERELINQUAS EAM. — Syrus: *Investiga, et scrutare, et quære, et invenies; confortare in ea, et ne dimittas eam*; Tigurina: *Fac illam investigates, et inquiras: nam tibi cognoscenda dabitur; cæterum assecutus eam, ne deseras*. Hic ergo est ordo, quo acquiritur et possidetur sapientia. Primo, investiganda est eo studio et sagacitate quo venatores investigant lepores et cuniculos in suis antris latitantes; ac ne de ea inveniendi desperes, vel de longa investigatione queraris, et tædio afficiaris, certus esto quod, si quærere perrexeris, illa se manifestabit tibi. Deinde eam assecutus constanter retine, nec ullo metu vel præmio deseras. Perseverantia enim coronat sapientiam, æque ac virtutes cæteras. Hoc est quod ait Christus Matth. vii, 7: « Petite, et dabitur vobis: quærите, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærít, invenit; et pulsanti aperietur. » Ita se res habet apud Deum, Deique sapientiam: secus est apud homines, hominumque scientiam, ubi subinde multi petunt, quærunt et pulsant;

sed nihil aut parum inveniunt, vel ob ruditatem et tarditatem ingenii, vel ob defectum magistrorum, vel ob alias causas.

Nota: Pro continens, Græce est ἐγκρατῆς, id est, tenens, obtinens, occupans, possidens, qui dominium et potestatem in aliquam rem obtinet; et quia tales sunt temperantes, qui dominantur gulæ et ventri, quasi appetitus domini, hinc ἐγκρατῆς significat quoque continentem, id est, temperantem. Sic Sapient. viii, 21, dicitur: « Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens (id est, compos voti, puta, obtinens sapientiam), nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum. »

29. IN NOVISSIMIS ENIM INVENIES REQUIEM IN EA, ET CONVERTETUR TIBI IN OBLECTATIONEM. — Syrus: *In fine invenies requiem et blanditias, et lataberis in novissimo tuo*. Itaque τὸ in novissimis idem est quod in fine, studii scilicet et laborum, quos impendisti addiscendæ et acquirendæ sapientiæ, puta virtuti. Hebr. enim אַחֲרַיִת acharit, quod Latinus interpres vertere solet novissimum, significat post, postea, posterius. Excitat ad sapientiæ, id est virtutis, studium; spe præmii et fructus, q. d. Ne te tædeat laborum quos impendis, ut te et tuas concupiscentias vincas, ac virtutem acquiras; quia, ubi per continuum laborem concupiscentias domitas et rationi obedientes habueris, virtus tibi per consuetudinem fiet facilis et jucunda, tum ob suum decus et pulchritudinem, qua se omnibus efficit amabilem; tum quia affert miram conscientiae requiem, serenitatem et lætitiā. Quocirca omnis prior amaritudo, quam sensisti in ejus studio, vertetur tibi in oblectationem, inchoate quidem in hac vita, perfecte vero in futura, quando propter eam æterna felicitate donaberis.

30. ERUNT TIBI COMPEDES EJUS IN PROTECTIONEM FORTITUDINIS, ET BASES VIRTUTIS, ET TORQUES ILLIUS IN STOLAM GLORIÆ. — Syrus: *Et erunt tibi retia (sapientiæ) sedes fortis, et vestimentum honoris induente, et coronam gloriæ nectet tibi*; Vatablus: *Compedes ejus erunt tibi præsidio validissimo, solideque firmamento, et ejusdem nervi (vel trunci, sive boiæ) honorifico amictui*. Versu præced. duos sapientiæ, sive virtutis, fructus assignavit, scilicet, mentis requiem et lætitiā; hic quatuor alios assignat, scilicet, protectionem, corroboracionem, libertatem et gloriā, q. d. Compedes, quos tuis pedibus et gressibus injecit sapientia, prima fronte visi sunt tuos pedes et gressus impedire ignominia et servitute afficere, deprimere et debilitare; at ubi iis consueveris, sentas eas tibi verti « in protectionem fortitudinis, » id est, fortem, ac « bases virtutis, » id est roboris, hoc est robustas, q. d. Firmabunt tuos pedes et gressus, ut in iis quasi in basibus firmis libere et firme consistas; nec timeas lapsum, vel ruinam in peccatum; et pœnas illud consequentes, aut dæmonum aliorumve hostium incursum: quia contra hæc omnia te valide protegent et corroborabunt; rursum

torques, sive numella, quas sapientia iniecit collo tuo quasi servo fugitivo, vel reo, vertentur tibi in ornamentum — et in stolam gloriæ, quasi principi vel regi, utpote qui quasi rex per sapientiam imperes omnibus tuis affectibus et motibus, ideoque libere et liberaliter.

Hæc maxime experieris in novissimis proprie dictis, puta in hora mortis, et in die iudicii; tunc enim contra omnes dæmonum tentationes et furias virtus te proteget, roborabit et decorabit. Erit ergo in die iudicii virtus tibi quasi turris et basis inconcussa, ut in rigoroso Christi iudicio et ira immotus et imperturbatus consistas, ab eoque eoram Angelis et Sanctis omnibus orneris stola immortalitatis et gloriæ cœlestis. Ita Rabanus. Sic Christus cruci quasi latro clavis et funibus affixus, ipsam crucem, clavos et funes vertit in suum robur, triumphum, imperium et gloriam. « Regnavit » enim « a ligno Deus, » ideoque hæc ipsa jam a regibus adorantur, et in labaris ac vexillis quasi trophæa gestantur. Addidi funes, quia verisimile est Christum non tantum clavis, sed et funibus cruci fuisse astrictum: clavi enim manuum et pedum non potuissent soli tantam corporis molem sustinere; et funes hi e Jerusalem Rotam a S. Helena delati, servantur in ejus palatio, nunc templo S. Crucis in Jerusalem, uti habet programma sacello ejus subterraneo præfixum. Hujus rei typo Joseph Patriarcha, cui ob amorem sapientiæ, virtutis et castitatis, compedes et vincula injecta, commutata sunt in annulos et torques aureas, ac stolam byssinam, quando ob vaticinia et providentiam futuræ sterilitatis a Pharaone creatus est princeps Ægypti, curruque regio vectus, salutatus est Salvator mundi. Quod mystice explanans S. Ambrosius lib. *De Joseph*: « Quid sibi vult, ait, annulus » digito insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ejus fidei esse delatum, ut alios ipse signaret? Quid stola, « quæ est amictus sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cœlestis sapientiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritum. » Vide dicta *Genes*, xli, vers. 42 et 43.

Porro alludit Siracides de more ad illud Salomonis *Proverb.* i, vers. 8 et 9: « Fili mi, audi disciplinam patris, etc., ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Septuaginta: *Coronam enim gratiarum, aut charitum suscipies tuo vertici, et torquem aureum circa collum tuum.* Ubi Lyranus: Antiquitus, ait, sapientes utebantur torque aureo, et bulla ad pectus demissa in sapientiæ symbolum, quæ in pectore claudi existimatur. Addit Abulensis in *Genes*, cap. xli, torques principibus olim dari solitos; at non omnibus, sed iis qui sapientiæ laude erant celebres: corona enim erat insigne principatus et potestatis, torques vero potestatis cum sapientia conjunctæ. Ita Baltazar Danieli; si somnium suum sapienter interpretatus fuisset, torquem promisit: « Purpura, ait,

vestieris, et torquem aureum circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris, » *Danielis* ii, 7. Et Darius Zorobabeli et sociis disputantibus quidnam esset fortissimum, victori quasi sapientiæ palmam ferenti, promisit, « purpura cooperiri, cidarim byssinam, et torquem circa collum: et secundo loco sedebit a Dario, inquit, propter sapientiam suam, et cognatus Darii vocabitur, » *III Esdræ* iii, 6. Ubi nota: Olim insigne sapientis erat cidaris byssina; cum enim cæteri uterentur tiara simplici, sapientibus tiaram bysso obligabant, eamque vocabant cidarim byssinam, ut docet Brissonius lib. *De Regno Persico*. Huc alludit hic Siracides, cum sapienti quasi insigne debitum promittit stolam byssinam; cum stola enim byssina dabatur et cidaris byssina. Unde Syrus vertit, et *coronam gloriæ* (puta, cidarim byssinam) *nectet tibi*.

Rursum alludit ad *Proverb.* cap. iv, vers. 8, ubi Salomon philomuso et sapientiæ studioso promittit ejus præmia, dicens: « Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona incluta proteget te; » Hebræus, *dabit tibi copulam gratiæ, et diademata decoris muniet te; Septuaginta, ut det capiti tuo coronam gratiarum corona autem deliciarum proteget te; Chaldæus, et ponet in capite tuo pulchritudinem gratiæ, et corona decoris erit super te.* Hanc enim Siracides alia metaphora vocat stolam gloriæ.

Tropologice noster Pineda in *Job*, cap. xxvii, 6, per *compedes* accipit obligationes et vota perfectioris vitæ; nam hæc ipsa vincula, quæ sunt nostræ imbecillitatis argumenta, eadem ipsa sunt quasi torques et bases virtutis, id est, supplementum fortitudinis, et præsidium validissimum ad retinendam foriter sanctitatem, quam semel tenere cœpimus. Ita S. Gregorius lib. xxxi *Moral.* cap. xi: « Potenter dimicantibus, inquit, in munere torques datur, ut, quia signa virtutum gestant, majora semper exercent, et debilitatis crimen incurrere nequeant, dum in semetipsis jam fortitudinis est præmium, quod ostentant. » Et Beda in illud *Ezech.* xvi, 11, *Et torquem circa collum tuum*: « Additur, inquit, et collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur; ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficiente virtutum connexionem docetur. Torques igitur iste, ex propriis constans laboribus, quem Deus sponsæ suæ collo circumdabit, omnibus mundi divitiis pretiosior est: siquidem eam suaviter intra metas virtutis continet, et a vitis, quæ damnat, abducit. »

31. DECOR ENIM VITÆ EST IN ILLA, ET VINCULA EJUS ALLIGATURA (Rabanus legit, *nectura*; alii, *netura*; hoc enim est *κλωμα*) SALUTARIS, — *q. d.* Sapientia et lex Dei, quæ tibi quasi servo initio erat ignominiosa, molesta et arcta, quasi compedes, eadem tibi jam illi assuefacto erit decor decorans, et ornans tuam vitam. Rursum pariet tibi decorem et gloriam vitæ cœlestis et æternæ; vita enim

gratiæ, et multo magis vita gloriæ, est pulcherrima, plenaque omni decore et majestate. Denique ejus vincula erunt tibi alligatura salutaris: sicut enim medicus manus tuæ vulneratæ medelam adhibens, manum fasciis alligat, ac illa ligatura salutaris est, quia salubrem sanitatem et libertatem manus restituit: ita sapientia et lex Dei, ut vulneribus peccatorum et concupiscentiarum medeatur, ea legibus suis stringens et alligans, iisdem hæc sua alligatura salutem et libertatem conlialat.

Græca pro decor vitæ habent, *ornatus auri*, et pro alligatura salutaris habent, *nexus hyacinthinus*. « Decor aureus, inquit, est in ea, et vincula illius nexus hyacinthinus; » vel, ut Romani codices legunt, *et vincula illius fila hyacinthina*; Vatablus, *ornatus enim ipsi est aureus, et hyacinthino textu vincula*; alii, *ornamentum aureum est super illam, et vincula ejus vittæ hyacinthine*. Aureus enim ornatus est summus apud homines, et vestis ianthina sive hyacinthina olim erat vestis regum et principum. Significat ergo sapientiam et virtutem ornare sui studiosos, eosque facere reges et principes, imo homines cœlestes, Deique filios et aulicos. Vide quæ de hyacintho dixi *Ezech.* xvi, 10. S. Ambrosius lib. II, epist. 42 ad *Valentinianum Imp.* sic legit: « Aurea est lingua sapientum, quæ phaleratis, inquit, dotata sermonibus, et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visusque perstringit. » Talis fuit lingua S. Joannis Constantinopolis Patriarchæ, qui ab ea cognominatus est Chrysostomus id est, aureum os; et S. Petri cognomento Chrysologi, id est, aurei sermonis.

Alludit ad vitas hyacinthinas, quas in fimbriis astium gestare Judæos jussit Deus, ut per eas recordarentur sapientiæ, puta legis Dei; simul ut iis dignoscerentur a Gentibus, et ornarentur quasi populus Deo et sapientiæ dicatus. Hæc enim *Numer.* xv, 38, hebr. vocantur *פְּתִילֵי הַיָּחִיטִּים* *petil sechelet*, id est, filum hyacinthi; græce, *κλωμα* *hyacinthinon* (quæ voces in Græco hic usurpat Siracides); nam *κλωμα*, vel *κλωσον*, dicitur filum rectorum: de hæc enim sic sancit Deus *Numer.* xv, 38: « Dices ad eos (Judæos, sive filios Israel) ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vitas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes; sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. » Hæc ergo fimbriæ erant quasi pedum compedes, cohibentes eos a vitis, et cogentes eos recta in via mandatorum Dei incedere, ac pergere in cœlum. Idcirco enim hæc fimbriæ erant ianthini, id est, violacei et cœlestis coloris, ut per hoc monerentur conversationem et spem suam debere esse in cœlo, utque cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem et præsentiam semper

ob oculos ponerent, itaque recta ad eam in cœlum contenderent.

32. STOLAM GLORIÆ INDUES EAM. — *Stola* vestis erat ad talos promissa et decora, eratque tam virorum, quam mulierum. Perperam multi codices legunt *stola*, quasi stola gloriæ amictiva sit ipsa sapientia: non enim sapientiam, sed sapientiæ studiosum stola ornandum significat. Sensus ergo est, *q. d.* « Eam, » scilicet sapientiam, o philomuse, « indues, » quasi « stolam gloriæ, » *q. d.* Sapientia ornatus, ubique conspicuus et illustris incedes, perinde ac si amictus esses stola splendida et gloriosa. Est Hebraismus: Hebræi enim sæpe subticent, et supplendas relinquunt notas similitudinis, quasi, *velut, sicut*. Tigurina, *ut amictum honorificum indues eam*.

ET CORONAM GRATULATIONIS (puta lætam, jucundam, insignem, splendidam, de qua proinde gaudeas, tibi gratuleris) SUPERPONES TIBI. — Græce, et *coronam ἀγαλλίαματος*, id est *exsultationis*, quæ te, scilicet præ gaudio exsilire et exultare faciat, *circumpones tibi*; Vatablus, *et festivam tibi coronam impones*. Corona debetur sapienti, quasi sacerdoti, regi et triumphanti, ut dixi cap. i, 11, et tanquam bonis omnibus cumlato et perfecto, uti dixi cap. i, 22. Corona enim rotunda, totumque caput ambiens, symbolum est perfectionis et complementi. Hanc coronam opponit, imo imponit, labori et oneri, quo caput et mentem studendo, et studiose vincendo suas cupiditates, fatigavit sapientiæ studiosus.

Hæc ergo sunt quatuor insignia sapientiæ studiosi, totidem laboribus ejus debita, et ab eo promerita. Pro labore enim capitis datur ei corona exsultationis; pro compedibus datur ei torques aurea; pro onere humeris ejus imposito datur ei epomis, sive superhumeralis, quale datum fuit Aaroni, de quo dixi *Exodi.* xxviii, 6; pro veste sordida datur ei stola gloriæ. Unde etiam quasi doctoratus insignia dantur Doctoribus, dum creantur, scilicet pro corona birretum, torques aurea, epomis et stola byssina. Sic olim Pythagoram celebrem sapientiæ doctorem alba veste, quæ summarum potestatum propria esset, amicti, ac caput aurea corona redimiri, solitum tradit Ælianus lib. XII *Variæ histor.* cap. xxxii. Demosthenem quoque ob sapientiam et eloquentiam aurea corona donatum ab Atheniensibus testatur Plutarchus. Ab iisdem eadem insignium Zenonem, parentem Stoicorum, quod vitam rigidam quam docebat, præiret exemplo, narrat Laertius lib. VIII. « Viros enim sapientes et honos oportuit coronari, » ait Athenæus ex Euripide, lib. II.

Quocirca in *Panegyrico Constantini Augusti* ita legitur: « Merito igitur tibi, Constantine Imperator, senatus signum Dei, et paulo ante Italia sentum et coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte relevarent. Etenim sæpe debetur et divinitati simula-